suae et substantiae; Nec mirum iuxta assumpti corporis ueritatem Christum dicere.
Uae mihi mater mea, cum et in alio loco perspicue personae eius conueniat quod dicit;
Uae mihi quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, et sicut racemum
in uindemia non habens spicam ut comedat primitiua; et ne putemus geminam
uilitatem referri ad uerbum dei quis sit iste qui plangat, statim sequitur; Uae mihi
anima quia periit reuerens a terra. Non quo diuidamus personas ut impius facit Arius,
sed quo unus atque idem filius dei; nunc iuxta carnem, nunc iuxta uerbum loquatur
s. dei; Non feneraui nec fenerauit mihi quisquam, omnes maledicunt mihi; pro quo
LXX non profui neque profuit mihi quisquam; Theodotio non debui neque debuit mihi quisquam;
quorum omnium hic sensus est et personae Christi; Nullus se praebuit qui digne mea uerba
susciperet. nec fenerauit mihi quisquam. Inscis atque pauperibus confouendis
me sibi faciens debitorem. siue non profui nec profuit mihi quisquam; Nullus enim tantum
uoluit accipere quantum ego tribuere desideraui; nec profuit mihi quisquam, salus
enim creaturae lucrum est creatoris; aut certe non debui nec debuit mihi quis-
quam; Nemo mihi dedit quantum accipere cupiebam, nec me sibi fecit in aliquo
debitorem; quod quia in fest. nec debuit mihi quisquam. hunc habet sensum; quomo-
do enim poterat mihi usuram debere qui fenus non est dignatus accipere; Omnes
inquit maledicunt mihi; quis enim hereticorum atque errantium non maledicit Christo
s. peruersa credendo et peruersiora blasphemans; Dicit dominus, si non reliquiae eius in bonum,
s. si non occurri tibi in tempore afflictionis. et in tempore tribulationis et angustiae.
s. aduersum inimicum; Possunt haec et ex persona hieremiae accipi qui pessimo
tempore et iam imminente captiuitate prophetare conpulsus est et dura perpeti
a populo non credente; ad id quod supra dixerat, uae mihi mater, ut quid me genuista
uirum qui iudicer et discernar omni terrae et reliqua. Respondit dominus; Noli considerare

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0155